

triumphum de Ecclesiis Africanis, & de ipsa veritate recenset, sic scribit: *Aurelius enim, præfata Carthaginensis Ecclesiæ olim Episcopus (is fuerat Metropolitanus, & totius Africa primas, & in prædicta sexta Synodo præfederat) cum Collegis suis (id est, tota VI. Synodo) instigante diabolo superbire temporibus prædecessorum nostrorum Bonifacii atque Cælestini (de quibus supra) contra sanctam Romanam Ecclesiam cœpit. Sed videns se modo peccatis Aurelii Eulalii à Romana Ecclesiæ communionem segregatum, humilians regnovit se, pacem & communionem Romanæ Ecclesiæ petens subscribendo unà cum Collegis suis damnavit Apostolica auctoritate omnes SCRIPTURAS, quæ adversus Romanæ Ecclesiæ privilegia factæ quoquo ingenio fuerunt. Hortatur præterea illum Alexandrinum Eulalium, ut illum suum triumphum etiam aliis vicinis Episcopis significet, & illam pudendam revocationem Eulalii Carthaginensis omnibus ostendet. Indicat quoque ei, & alios multos Episcopos per Orientem, similiter se ipsi subdicere. Quæ nimirum omnia Alexandrino Episcopo ideo significat, ut & triumphos suos omnibus ambitiosè ostendet, & illum ad subjiciendum se ipsi tanto magis invitet. Nec tamen tunc statim ita tyrannidem suam, ut cupivit Romanus Antichristus, validè obtinere potuit; nam nec iste ipse proditor veritatis Eulalius Carthaginensis Metropolitanus, ei simpliciter summam absolutamque potestatem dat; nec in posterum Constantinopolitani Patriarchæ quievere, qui sibi itidem *universalis seu œcumenici Episcopi* nomen rapiebant, nec id solis Romanis concedere volebant. Quare plurimæ eis cum Papis de isto præclaro Antichristi Palladio contentiones fuere, ut ex Conciliorum libro, Papalibusq; Epistolis apparet. *Pelagius* certè acerrimè cum *Ioanne Constantinopolitano Patriarcha*, de hoc titulo contendit; nec tamen tam contendit, quam eum titulum, eamque ambitionem dignitatem penitus damnat.*

Idem agit & *Gregorius magnus*, ejus successor, etiam magnis, vehementiusque illam plusquam ethnicam tyrannidis affectionem damnat ac vituperat multis admodum Epistolis, quæ in ejus Registro legi possunt. Sæpe dicit, illam cupiditatem efferendi sese super alios Episcopos, esse idem quod *Luciferi peccatum*, qui reliquis se Angelis æqualem esse contentus non fuit. Sæpe quoque dicit, id esse *Antichristi factum*. Sæpe item dicit, consentire, ut aliquis sit supremus seu universalis Episcopus, esse idem quod *fidem abnegare*. Dicit eum titulum esse *novum, stultum, superbum, perversum, scelestum & prophanum*. Sæpe etiam repetit, pugnare cum Evangelio, & omnibus Patrum canonibus. Testatur item, nunquam quenquam suorum antecessorum eam dignitatem, potentiam seu titulum habuisse. Vide ejus Epistolarum libro 4. epist. 31. 35. & lib. 6. Epist. 30. & alias.

Ex quibus omnibus testimoniis clarè apparet, revera Papas usq; ad illa tempora nondum istam tyrannicam potestatem ita firmam ac ratam habuisse, ut nunc habet; tamen si eam sepissimè haudquaquã dissimulanter affectaverint, ut superius prolixius dictum est. Sedit autem hic *Gregorius primus post Bonifacium secundum*, qui